



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 62. Synodus Turonensis Andegavum translata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

occasione transmittēbat. Data erat ^{Sæcul. XVI.} hujus Cardinalis epistola die decima ^{A.C. 1583.} nona Decembris.

§. LXII.

*Synodus Turonensis Andegavum
translata.*

Tertium Provinciale Concilium pari- ^{Labb.}
ter hoc anno Turonii celebratum ^{p. 1002.}
est, cui Simon a Maille præfatæ Urbis
Archiepiscopus præerat, præsentibus
Guilielmo Ruzeo Andegavensi, Philip-
po Beco Nanatensi, Nicolao Angelerio
Briocensi, Aimero Hennequino Rhe-
donensi, Carolo Liscoeto Corisopotano
Episcopis Suffraganeis: equidem etiam
Dolensis Episcopus intererat, discessit
tamen ante Synodi exitum, Procura-
torem suum relinquens: insuper Vene-
tensis Episcopus Concilio ad finem ver-
gente abiit: Macloviensis autem, &
Cenomanensis nonnisi suos Vicarios
Generales ablegabant, cum vero eo
tempore Treconensis Ecclesia Episcopo
careret, Capitulum suos Oratores de-
cernebat: igitur huic Concilio Turonii
Mense Septembri initium datur, ubi
cum cuncti congregati essent, regno
prosperitatem, suoque Principi incolu-
mitatem præcabantur, simulque libel-
lus Regi porrigendus prælegebatur,
quo supplicatum, ut in suo Regno

H 3

Triden-

Sæcul. XV. Tridentinum Concilium promulgaretur:
A. C. 1583. insuper recitabatur etiam epistola ad
 Papam transmittenda, eo fine, ut qui-
 busdam abusibus circa beneficia tol-
 lendis operam suam impendere vellet.
 Postea de opportunis fidem conservandi
 mediis agebatur, concepta fidei pro-
 fessionis formula, cui cuncta capitula,
 & beneficiati subscribere jubebantur;
 præterea Synodus quædam contra Si-
 moniam, & fiduciariam, ut vocant,
 beneficiorum collationem decernebat,
 atque ad eradicandum hoc malum quæ-
 dam præscribebat media, hanc in rem
 innovans Pii IV. Bullam die vigesima
 tertia Junii Anno a partu Virginis mil-
 lesimo quingentesimo sexagesimo nono
 editam, interim hæc adhuc adjunge-
 bantur: *monemus Confessarios, ut simo-
 niæ, & confidentiæ reos, non absolutos,
 ad Sedem Apostolicam, juxta prædictam
 bullam, donec aliter sua Sanctitas decre-
 verit, absolvendos remittant.*

Cum autem grassante pestis violen-
 tia haud temere timeretur, ne Turo-
 nensis aer admodum nocivus esset, hinc
 Præfules, ceterique hujus Synodi Ec-
 clesiastici relicta hac urbe suos cœtus
 Andegavi prosequerentur, ubi etiam
 circa varia magni momenti argumenta
 plures sanctiones oppido proficuas con-
 dere pergebant, ac primo quidem age-
 bant

Sæcul. XVI.
A.C. 1583.

bant de Baptismo, ejusque ritibus, nec non de Patrini, & Matrinæ selectu, simulque hoc Sacramentum etiam sub conditione iterari prohibuerunt, si illud collatum fuit ab hæreticis, qui debitam materiam, formam, atque intentionem adhibuerunt. Dein actum est de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ, Matrimonio, Ordine, festorum celebratione, sanctarum Reliquiarum, & Imaginum cultu: præterea fufius proponebantur ea, quæ tam Clericorum, quam populi correctionem, ac disciplinam Ecclesiasticam respiciunt, ubi Episcoporum, Capitulum, dignitatum, & Canonicorum, Parochorum, Sacerdotum, ceterorumque Clericorum, Laicorum, Monachorum, & Monialium officia præscribuntur: præcipue vero interdicitur, ne quis Monachorum de cetero barbam gestare, aut comam nutrire præsumat, sed omnes coronam magnam in capite habeant, & barbam radant: insuper carni-um esus omnibus Monachis singulis diebus Mercurii, nec non Adventus tempore tam in Monasterio, quam extra illud interdicebatur: nec minus in eadem Synodo prohibebatur, ne in Monialium monasteriis Abbatissæ, sive Priorissæ, aut aliæ, quocunque nomine appellantur, minores quadraginta sal-

H 4

tem

Sæcul. XVI
A.C. 1583.

tem annis eligantur, quæque in vitæ honestæ laude vixerint octo annis saltem, postquam Religionem professæ fuerunt. Denique examinavit Synodus ea, quæ concernunt sepulturas, jurisdictionem ecclesiasticam, visitationem, bonorum ecclesiasticorum conservationem, eorumque alienationem, Seminaria, Scholas, & Universitates: porro cuncta hæc statuta a Gregorio XIII. Papa Romæ edito diplomate die octava Octobris anno sequenti millesimo quingentesimo octogesimo quarto fuere confirmata, Regisque auctoritate promulgata.

§. LXIII.

Renati Biragi Franciæ Cancellarij obitus.

*Thuan. l. 78.
Ciac. t. 4.
pag. 57.
Journal.
l. 6. p. 66.*

Hoc item anno Renatus Biragus Franciæ Cancellarius, ac Cardinalis naturæ debitum solvit. Natus is erat ex illustri Mediolanensium Familia in nuperis Italiæ bellis semper Franciæ addicta, Patremque habuit Renatum Galeatium Biragum olim Mediolanensis Ducis Oratorem apud Cæsarem, Matrem vero Theodoram Trivultiam Franciæ Marescalli nomine Trivultii Filiam. Porro Renatus in Franciam deductus jurisprudentiæ laurea ibidem decoratus fuit, & regnantibus Francisco I.

Hen-